DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

SANITATE

IN

INDIA OCCIDENTALI TUENDA.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
SANITATE
IN
INDIA OCCIDENTALI TUENDA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU; ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

DAVID AIRD,

ANTIGUENSIS,

SOCIET. REG. PHYSIC. EDIN.

SOC. HONOR.

" *Pauper enim non est, cui rerum suppetit usus.*
" *Si ventri benè, si lateri est, pedibusque tuis; nil*
" *Divitiæ poterunt regales addere majus.*"

HORAT.

Prid. Id. Septembris, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

M DCCC V.

SPECTATISSIMO VIRO

JACOBO HOME, M. D.

SOCIET. REG. EDIN.

SOCIO,

MATERIÆ MEDICÆ

IN

ACADEMIA EDINBURGENA

PROFESSORI;

HANC DISPUTATIONEM,

ANIMI

BENEFICIORUM ET AMICITIÆ MEMORIS

MONUMENTUM,

D. D. DQUE

DAVID AIRD.

AVUNCULO

PATRICIO DOIG,

ARMIGERO,

IN

INSULA *ANTIGUÆ*

MORBOS TAM MEDICINA QUAM MANU

PROSPERRIME CURANTI;

NON SOLUM

LITERIS HUMANIORIBUS ET SCIENTIA

INSIGNI,

SED ETIAM

SUAVITATE MORUM ET VITÆ INTEGRITATE,

ORNATO;

HOC, QUANTULUMCUNQUE SIT,

OBSERVANTIÆ ET AMICITIÆ

PIGNUS

OFFERT

DAVID AIRD.

To Dr Ogilvie with best wishes from the Author —

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

SANITATE

IN INDIA OCCIDENTALI TUENDA.

PROOEMIUM.

TERRARUM orbis, a scriptoribus, in regiones est divisa, quibus nomina *ZONARUM* imposuerunt, *TORRIDÆ* nempè, *TEMPERATÆ* et *FRIGIDÆ*. Hæ zonæ inter se variant temperie, prout a Polis recedant, et Æquatorem appropinquent; et uni harum cuique aliqua sunt propria.

Natura omnibus his regionibus, animalia et vegetabilia dedit, quæ cœlum et vicissitudines harum regionum tolerarent; et eorum ferè nulla, sine discrimine, in alias transferri possunt. Plurima sic translata, statim languescunt, neque multò pòst figuram externam mutant, demùmque citiùs vel seriùs pereunt.

Homo, præ cæteris animalibus, ad diversas regiones se accommodare posse videtur; tamen Natura posuit limites, quos ultra pariter ac citra, nequit incolumis vivere et valere. Aborigines omnis regionis, æquè ac terrâ edita et bestiæ, certam indolem possident, ei indigenarum aliarum regionum dissimillimam. Hoc discrimen inter incolas regionum vicinarum apparet, sicut Britanniæ, Galliæ et Hispaniæ; magis autem notabile est, inter indolem indigenarum zonæ frigidæ et temperatæ, vel zonæ temperatæ et torridæ.

In zonis temperatis, præ cæteris, homines vivunt et vigent, et, ubi in alias, sive calore sive frigore intemperatas, migrant, morbis gravibus plectuntur, et haud rarò pereunt. Homines autem, rebus angustis vel divitiarum

spe impulsi, omnia pericula, omnes difficultates spernunt; et, quò suam sortem meliorem reddant, in omnes terræ regiones migrant. Hoc probant multæ quotannis migrationes in Indiam Orientalem, vel Occidentalem. Multi, hoc in cursu, pereunt; pauci rem expectatam obtinent; et pauciores adhuc, ad acquisitam fruendam, vivunt.

Quoniam igitur cœlo mutando homines tantis periculis se objectant, oportet medicos, si possint, consilio ea pericula aliquatenus avertere, ut migrantium sanitatem servent. Hoc autem munus difficillimum est; sanitatem enim, in regionibus temperatis, tueri faciliùs est, quàm in illis, ubi calor, solis fervidis ictibus immodicus, corpus humanum plurimis morbis reddit obnoxium. Inter fervidas regiones, insulæ Indiæ Occidentalis primum locum tenent, et ob cœli calorem, et morbos frequentes et lethales, quibus advenæ quotidie pereunt.

Etsi hæ insulæ, ex quo tempore Columbus illas adiît, Europæis semper fuerunt insa-

lubres *; tamen mihi videtur, multa cœlo fuisse falsò tributa, quæ potiùs ad advenarum mores et indulgentiam, cœlo parùm consentanea, referri deberent. Hoc sanè haud mirum: mores enim quasi nobis innati vix abjici possunt, nec intemperantia ferè omnibus communis facilè coërcetur. Prætereà multa, quibus, in regionibus temperatis, sibi impunè homines indulgere possunt, in India Occidentali mortem ferè certam afferunt.

Mihi tamen videtur, multa advenis in potestate esse, quibus, vel in regionibus calidis, sanitatem tueri possint. Quibus itaque his optimè regionibus conservetur valetudo, exponere, quantùm me propria docuit experientia, conabor.

In hac disputatione mihi consilium est dicere, Indiæ Occidentalis cœli tempestates quæ sint, quæ temperies, quæ humiditatis et

---

* *Vide* ROBERTSON. "*History of America.*" 8vo. edit. p. 181. 252. 259. Itemque, "*Life of* "*COLUMBUS*," c. 61.

siccitatis vicissitudines; et qualem corporis constitutionem inducat, quosque morbos: dein exponere, quâ victûs ratione advenæ, et ante adventum et pòst, optimè consequantur, ut, dum peregrinantur, nullum alieno cœlo detrimenti capiant.

PARS

PARS PRIMA.

DE INDIAE OCCIDENTALIS COELO, ET CORPORIS CONSTITUTIONE ET MORBIS HINC ORIUNDIS.

CAP. I.

De Cœlo Indiæ Occidentalis.

Tempestates,—in India Occidentali satis observabiles sunt, etiamsi nec eodem tempore accedant, nec per idem tempus maneant, ac in regionibus temperatis. Ver plerumque ineunte mense Aprili advenit, et ad finem Maii perdurat. Per hoc tempus, imbres sunt frequentes, sed nec graves, nec diutini. Æstate incipiente, calor fit immodicus, neque ad Augusti medium remittit. Intereà pluviæ perraræ sunt. Autumnus tempus ab Augusti medio, ad Decembris initium occupat. Per hoc tempus imbres graves cadunt, et procellæ frequentes oriuntur. Hyems, si hyems voca-

ri possit, cæteros anni menses implet. Labente hyeme, calor parùm urget, et cœlum gratum est atque jucundum.

Temperies.—Anni tempora hujus regionis minùs variant, quàm in regionibus temperatis vel frigidis. Aura levis semper, vel saltem sæpissimè, a mare venit, quæ cœli calorem multùm temperat. Necesse est, ut omnia experimenta, quibus calor hujus regionis æstimetur, fiant in locis umbrosis, quæ auris a mari patent.

In hujusmodi locis, calor meridie per menses calidos variat ab eo, quem octogesima sexta *thermometri Fahrenheitiani* nota indicat, ad eum, quem nonagesima ; et, per menses temperatos, ab eo, quem monstrat nota octogesima, ad eum, quem octogesima sexta. Calor, ut apparet ab experimentis horâ quartâ matutinâ institutis, variat ab eo, quem nota septuagesima secunda indicat, ad eum, quem septuagesima octava, per menses calidos ; et ab eo, quem monstrat nota sexagesima sexta, ad eum, quem septuagesima quarta, per menses temperatos.

Quanquam anni tempora, plerumque hos intra fines, temperie variant, at aliquando tamen eos transgrediuntur. Fluidum *thermometri*, mense Augusti anno millesimo octingentesimo tertio, ad gradum nonagesimum secundum, meridie aliquot dies continuos ascendit. Semel contrà, horâ quartâ matutinâ, mense Januarii, anno millesimo octingentesimo secundo, ad gradum sexagesimum primum subsidit. Hoc frigus esse extremum, putârunt incolæ.

Ab his et aliis experimentis, media temperies, mensibus calidis, videtur esse ea, quam nota octogesima quinta indicat; et, mensibus temperatis, quam septuagesima octava.

Idem verò dies, in India Occidentali, temperie magis fortassè variat, quàm in Britannia. Hìc enim dies et nox calore parùm variant; illìc verò diurnus calor aliquando nocturnum tantò excedit, quantùm monstrant viginti *thermometri* notæ. Omnes hæ variationes a variis scriptoribus enumerantur *.

---

* Vide, " *Letters and Essays on West India Diseases, by different Practitioners*," Præf. p. 22.— Vide etiam HILLAR. " *On Air.*"

Variationes, quod ad siccitatem et humiditatem attinet, haud æquè facilè æstimantur. Incipiente tempestate pluviosâ, imbres sæpè tres ferè menses, nullo intereà die sicco et sereno interveniente, cadunt, et cœlum contristant. Aqua de cœlo aliquando, *pluviometro* indice, pollices cubicos 87.01, uno anno, æquat *. Contrà, tempestatibus siccis, cœlum est admodum serenum, et solum dishiascit. His temporibus, imbres, si qui, adeò sunt leves, ut citò calore vaporentur, et vix terræ solum humectent.

De hujusmodi tamen rebus nihil perpetuum est. Terra enim aliquando, per menses septem vel octo, sine imbribus aret: contrà, nimbi interdum, per dies, hebdomadas, vel etiam, at raró, menses, ferè sine intermissione se præcipitant.

Aër Indiæ Occidentalis, etiam tempestatibus aridis, humore gravari videtur; quoniam omni tempore instrumenta ferrea brevi rubigi-

B

* Vide Hillar. p. 70.—Monch. "*On West India Diseases*," p. 10.

nem contrahunt, et sales, ad deliquescendum proni, vix possunt in phialis vel optimè obturatis servari, quin brevi solvantur *. Nullis dum, quantùm scio, experimentis et instrumentis idoneis, aëris humor diversis temporibus accuratè æstimatus est.

Noctes tamen, præ roribus, qui per eas labuntur, diebus humidiores sunt ; et hi rores, pro calore diei præcedentis, majores vel minores sunt.

Plurimæ Indiæ Occidentalis insulæ *stagnis* et *paludibus* abundant. Per menses pluviatiles, stagna et paludes, super ripas effusa, omnes agros vicinos inundant, et eos paludosos reddunt. Mensibus calidis et siccis, non solùm hi agri, verùm stagna et paludes quoque, ferè exsiccantur. Ex utrisque nocivæ auræ, præcipuè autem dum æstuat calor, oriuntur.

---

* " *Letters and Essays on West India Diseases*, Præf. p. 29.

Barometri liquor, in his insulis, raro infra 29.6 descendit, aut supra 30 ascendit, nisi ante et per sævos turbines, cum longè infra 29.6 decidit. Cur barometri liquor adeò his turbinibus afficiatur, nondum cognitum est; similis autem descensus in Britannia observatus est a philosophis, qui ad res hujusmodi animos intenderunt.

CAP. II.

De constitutione corporis et morbis cœlo Indiæ Occidentalis inductis.

His cognitis, fieri non potest, quin multis morbis corripiantur advenæ; qui Europâ, diurno calore, humore nocturno, nocivis paludum, pluviosis præsertim temporibus, exhalationibus dissimillimâ, migrârunt.

Calor, præsertim sub propinqui solis ardoribus, corpus humanum vehementer stimulat. Europæi, qui nuper patriam reliquerunt pleni valetudine, apti, præ indigenis, sunt, qui a caloris stimulatione detrimentum ca-

piant. In his calor facit, ut cùm excernenda tum secernenda plùs minùs tam quantitate quàm qualitate mutentur, et ut omnes simul functiones nonnihil varient.

Omnis hujusmodi mutatio et variatio, pro corporis conditione, morbos graviores vel leviores gignunt. Quò plenius sanguine corpus est, eò gravioribus morbis afficitur; et quò minùs sanguine supra modum abundat, eò levioribus.

Diu est observatum, illos, qui Indiam Occidentalem adveniant, vel a morbis, vel hydrargyro, vel profluviis debilitati, calorem meliùs tolerare, nec morbis tam esse obnoxios, quàm eos, qui integris gaudeant viribus. Natura, utilitatis provida, indigenas harum regionum Europæis debiliores fecit, et minùs gravis laboris tolerantes; at caloris patientiores, atque morbis inflammationem habentibus minùs opportunos.

Calor actionem cordis et arteriarum excitat; et hinc oriuntur multi morbi, quibus advenæ, primo adventu, vel haud multò pòst, corripiuntur. Hujusmodi sunt, eruptiones

variæ, dolor capitis primarius, multæ leves febres; et aliquando fortassè calore ipso, vel hoc cum humore et aurâ nocturnâ, proficiscitur morbus *febris flava* dictus, qui tot mortalium millia in India Occidentali perimit.

Hepar potissimùm caloris stimulo afficitur; bilis copiâ augetur, et qualitate aliquatenus mutatur*. Hac mutatione, et auctâ quantitate, oriuntur omnes morbi biliosi, qui sunt adeò frequentes: sicut vomitus biliosus, diarrhœa biliosa, cholera, et icterus. Leves porrò febres sunt, quæ haud perperam eidem causæ tribuuntur. Hinc quoque, aliis infrà memoratis adjuvantibus, oritur hepatitis.

Ventriculus etiam Europæorum, in insulis Indiæ Occidentalis peregrinantium, tam ca-

---

* "The inhabitants of warm climates," inquit SANDERISIUS, "are extremely subject to diseases arising from the increased secretion of bile, and the excess of its quantity in the primæ viæ, which, either by regurgitating into the stomach, produces a general languor of the whole body, together with nausea, foul tongue, loss of appetite and digestion, or, by being directed to the intestines, excites a painful diarrhœa."—*Treatise on the Liver*, p. 127.

loris vi, quàm victûs intemperantiâ, multùm afficitur. Hinc oriuntur dyspepsia, aliique stomachi morbi.

Calor etiam fons est multorum aliorum morborum, qui in functionibus læsis consistunt; sed non possum, in disputatione hujusmodi, omnium mentionem facere.

Corpus, diu et sæpè huic stimulo expositum, debilitatur, ejusque vires exhauriuntur; et sic iis morbis faciliùs afficitur, qui nocturno *FRIGORE* et *HUMORE* nascuntur; sicut, dysenteria, tetanus, aliique plurimi. Hi morbi etiam inducuntur, cùm corpus, exercitatione calefactum, subitò frigidis interdiu à mare auris, præsertim humidis, objicitur.

Ex *PALUDUM*, *STAGNORUM*, et *LOCORUM PALUSTRIUM EXHALATIONIBUS* proveniunt intermittentes et remittentes, periculosæ et sæpè lethales, quæ ferè indies in India Occidentali occurrunt *.

---

* Omnes hi morbi, multique alii, ei terrarum orbis parti proprii, quibus omnes ferè incolæ sunt obnoxii, optimè à LINDIO, MOSELEIO, JACKSONIO, HILLARIO, et CHISHOLMIO, describuntur.

PARS SECUNDA.

DE MORBIS INDIÆ OCCIDENTALIS PRÆCAVENDIS, ET SANITATE TUENDA.

CAP. I.

De Europæorum victûs ratione, dum navibus in Indiam Occidentalem proficiscuntur.

Quum, ut suprà diximus, indigenæ, sive albi sive nigri, itemque nigrorum Afri, in India Occidentali, constitutione corporum Europæis valdè dissimiles sint; et demonstrare conati simus, omnes ferè morbos, qui cœlo oriantur, vel a diurno calore, vel a nocturno frigore et humore, vel a paludum anhelitu, effici; oportet omnes a regione frigida advenas cavere, ne talem corporis constitu-

tionem, morbis tam proclivem, nanciscantur, talibusque causis se committant.

Primo consilio, omnia, quæ corpus nimis implent, cautè sunt evitanda ; et, secundum in finem, loci sitûs, aliorumque quæ memoraturi sumus, habenda est ratio.

Fortassè meliùs esset, id sanè quod licet et potest, Europæos, dum navibus in Indiam Occidentalem proficiscuntur, ita vivere, ut, ante adventum, constitutione corporis indigenas aliquatenus simulent. Ad hanc similitudinem, vitæ ratio, quæ, in navibus mercatoriis, a vectoribus æquè ac nautis tenetur, haud omninò conducit. In hujusmodi navibus lautè vivunt ; sæpiùs in dies carnibus, cerevisiâ meraciore, vino, et aliis potionibus stimulantibus, sese ingurgitant ; et, per totum diem, in stega vel assident vel recumbunt, nec omninò volunt se exercere.

Hæc vitæ ratio, quippè nemini eorum qui hoc iter faciunt apta, omnibus seriùs ociùs nociva est. Vectorum alii crebræ exercitationi, animi causâ, sunt assueti ; alii domi labore famem tolerabant. Neutrius generis ad-

venæ, præcipuè a Scotia profecti, mensarum deliciis, vino, cerevisiâ meraciore, aliisque potulentis, ultra modum, uti assueverunt. Qui domi jam nimis pleni erant, ii inter profectionem adhuc pleniores evadunt; et, qui vitam parcè tolerare solebant, ii in transitu pleni fiunt.

Ex hoc vitæ genere, mala sæpè manifesta apparent, priusquam Europæi Indiam Occidentalem adveniunt, vel citiùs post adventum seriùsve, aliquando etiam sex septemve diebus. Omnis igitur, qui secundâ valetudine in India Occidentali frui optat, debet hanc vitæ rationem cavere, neque inter profectionem se ventri et ignaviæ nimis dedere.

Parcè vivere debent vectores, et, quum mari olera parare nequeant, alia levia concoctu facilia substituere. Jusculum, nec grave nec pingue, unà cum carnis perpauxillo, ad pastum satis suppeditabit. Carnes debent esse recentes, neque sale neque aromatibus stimulantibus conditæ; utì enim recentes concoctu faciles sunt, ita conditæ ferè semper ven-

triculum multùm opprimunt, et sitim accendunt.

A vino, cerevisia, aliisque potionibus meracioribus, se ferè ex toto abstinere debent; quippè quæ corpus ultra modum impleant, demùmque, si in eorum usu diu et intemperanter perseveretur, stomachum adeò infirment, ut cibos concoquere non possit. Aqua mera, vel *alcohol* saccharinum, vinumve multâ aquâ temperatum, vel tenuis cerevisia, Indiam Occidentalem proficiscentibus potui aptissima sunt.

Vectorum plurimùm interest, ut modicâ sint et salutari corporis temperie, fervidi solis calorem sedulò evitare. Debent, quantùm quotiesque possint, super navis constratum, sub prætentis velariis a solis radiis tuti, se exercere; neque, ut incauti sæpè solent, advesperascente die, super constrato remanere, ut gratas auras captent, et immensi oceani miris delectentur.

Cavendum simul est, quomodo se habeat alvus. Si, ut sæpiùs, constricta sit, oportet ut quàm primùm idoneis medicamentis sol-

vatur, velut magnesiâ, vel rheo; vel, si hæc parùm valeant, acrioribus, nempè aloë aut jalapâ. Enimvero, ne alvus tardescat, utile erit navigantibus, hujusmodi medicamenta identidem assumere: si enim hoc negligant, periculum est, neque id leve, ne gravibus malis morbisve intercipiantur.

Debent quoque se leviùs vestire, simul ut regiones calidas appellunt, ne inutilium vestimentorum onus corpus irritabilius reddat. Hoc autem facto, magis opus erit, ut nocturnas auras et humorem caveant.

CAP. II.

De advenarum victûs ratione, statim post adventum.

Cum advena Indiam Occidentalem appetivit, vitæ discrimen, vel morbi periculum fortassè raro est statim timendum; si, ante ad-

ventum, ad ea, quæ suprà monuimus, animum intenderit. Sed, tempore haud longo, multa ad corpus sanum servandum necessaria sunt. Si autem, ut plerumque vectoribus mos est, monita negligat, multa statim post adventum sunt facienda, ne corpus, quippè nimis plenum, solis ardore brevi a morbis corripiatur.

Hæc corporis plenitudo ex faciei et oculorum rubore plùs satis apparet, itemque operoso spiritu, anxietate, pulsu frequente atque valido, siti magnâ, et alvo adstrictâ. Hæc mala, ni leventur, citò in febrem flavam abeunt, brevi in mortem desituram.

Ne advena sic pereat, oportet ex corpore materiam demere, præcipuè sanguinis detractione; quippè quo nihil ad plenitudinem minuendam, et arcenda futura ex ea mala, plùs conducat. Sanguis, quantum requirat plenitudo, et pati posse videantur vires, missus, ad mala præcavenda, ut egometipse compertus sum, itemque medicorum plerique, plurimùm pollet.

Post detractionem sanguinis, cathartica non solùm ad plenitudinem præsentem minuen-

dam, sed etiam ad futuram arcendam, necessaria sunt. Ex catharticis medici frequentiùs *submuriate hydrargyri*, et variis salibus mediis, utuntur. Hæc sunt usurpanda, et repetenda, pro effectu quem inducant. Si neque stomacho noceant, neque totum corpus infirment, fortassè idoneum erit, tertio vel quarto quoque die, per hebdomadas duas tresve, ea repetere. Verùm in nonnullis tamen sufficiet, catharticis alvum bis terve solvere.

Intereà advena debet se domi continere, fenestris omnibus et ostiis interdiu apertis, ut cubiculum perflatum habeat, et ne corpus nimis incalescat. Haud omninò solis ictibus se objicere debet; sed, ubi jam breve tempus advenerit, liceat se vespere leniter, citra fatigationem, exercere. Debet primâ nocte somnum inire, levibus tantùm vestimentis contectus, et primo mane ex lecto surgere.

CAP. III.

De Europæorum vivendi ratione, dum in India Occidentali manent.

In hac rei nostræ parte necesse est, ut paucis dicamus de diæta, exercitatione, vestitu, munditia, excretionibus, animo, et loci situ.

Capitul. I.

De Diæta.

Ad quotidianum corporis damnum reficiendum, alimentum est necessarium. Hoc comprehendit *cibum* et *potum*; de quibus ordine breviter dicendum est.

Cibus.—Hominum in India Occidentali plùs interest, quali cibo vescantur, quàm in Europa; imò plùs, quàm vulgò creditur. A cibis

nimiis vel insalubribus nascuntur multa mala; quæ non solùm in illa regione peregrinos afficiunt, sed etiam sunt quasi semina, ex quibus oriuntur morbi, qui in patriam reduces affligunt.

Esculenta, quibus peregrini ex Europa utuntur, plerumque stimulantia et concoctu difficilia sunt. Constant ex jusculis pinguibus, carnibus, testaceis, piscibus oleosis, et cibis aliis hujusmodi, unâ epulatione devoratis. Non solùm autem qualitas hujusmodi ciborum est nociva, sed etiam onus ab iis devoratum; nil enim peregrinis pejus esse potest, quàm gravibus et insalubribus cibis ventriculum opprimere.

Hujusmodi victus, ut nusquàm terrarum hominibus idoneus vel necessarius est, ita iis, qui in regionibus calidis peregrinantur, non potest quin multùm noceat.

Natura ipsa clarè docuit, quæ alimenta diversarum regionum incolis sint idonea, esculentis animalibus et terrâ natis, quæ in quaque regione vivunt et vigent. In regionibus enim frigidis, pauca tantùm alibilia terra fun-

dit; bestias verò, mensis aptas, plurimas. Temperatæ verò frugibus omnigenis et animalibus æquè abundant, quæ idoneum incolis harum regionum alimentum præbeant. In regionibus torridis, et præsertim in insulis Indiæ Occidentalis, natura frugibus multigenis fertilis est, animalibus autem ad mensas idoneis infœcunda: animalia enim, quorum carnes mensis incolæ apponunt, vel marina sunt, vel ex temperatioribus terris importantur.

Terræ fruges igitur videntur esse alimentum, incolis harum regionum aptissimum; et, nostrâ ætate, hæ insulæ, ferè sine cultu, plurimis et jucundis abundant. Etsi his ferè solis incolas vivere Natura voluit; haud tamen interdixit Europæis, ne unà cum his modicas carnes assumerent. Carnes optimæ, quæ mensis apponantur, sunt bovillæ, ovillæ, avium domesticarum, et piscium concoctu facilium. Omnibus autem cibis pinguioribus, velut testudinibus, cancris, et plurimis piscibus concoctu difficilibus, advenæ se abstineant *.

---

* Haud possum, in opusculo hujusmodi, omnia de carnium diversarum varietatibus et proprie-

Etsi Europæis liceat carnibus modicè uti, tamen, quò minor quantitas est, eò meliùs; imò, si omninò ex terrâ natis vivant, meliore sanitate frui sperent. Talis victûs utilitas inter indigenas pauperes, sive ALBOS sive NIGROS, qui carnem rarò comedunt, et oleribus maximâ ex parte victitant, satis apparet. Hi enim minùs sunt proclives in morbos inflammationem habentes, ullosve alios morbos, quàm Europæi; quod certè ab eorum abstinentia pendet. Tali victûs ratione, non solùm indigenæ pauperes, sive albi sive nigri, aliquatenus a morbis immunes sunt; sed etiam Europæi, qui hoc modo vivunt, secundâ, dum peregrè manent, valetudine fruuntur, sanique patriam redeunt.

Advena debet se abstinere a condimentis omnibus, sicut capsico, aliisque piperibus indigenis, quibus incolæ cœlo assueti, et nigri, copiosè et impunè utuntur; nam si ratione,

---

tatibus, proponere; nec de alimentorum concoctione loqui; quia hæc pro magnitudine tractare, ex proposito nimis traheret.

quam suprà commendare ausus sum, vivunt, hæc gulæ incitamenta non necessaria sunt. Primò enim ventriculum stimulant ad copiam majorem cibi appetendam, quàm vel necessaria vel idonea est; et quotidiano usu adeò debilem reddunt, ut nec cibum appetat, nec assumptum, sine eorum auxilio, possit ferre et coquere.

Ea condimenta inquilinis calidarum regionum incolis utilia putantur; et haud dubiè erant aboriginibus necessaria, qui, convenientèr naturæ diætâ tenuissimâ viventes, terræ frugibus solùm vescebantur. Europæis autem nunquam necessaria erunt, nisi eorum aliorumve stimulantium, vel ciborum concoctu difficilium abusu, stomachus debilitatus fuerit.

Salubriùs tamen esset, frugibus terræ et condimentis ex toto vivere, quàm ex toto carnibus, aut carnibus unà cum paucis tantùm adjectis terrâ natis.

Insulæ omnes Indiæ Occidentalis fructibus dulcibus et jucundis abundant; et optimè Natura sic voluit, quoniam fructus maturi illius

regionis non solùm ad sanitatem servandam conducunt, sed etiam pluribus morbis optimum sunt remedium. Caveant tamen omnes, et præ omnibus advenæ, ne, eorum suavitate alliciti, iis ultra modum salutarem utantur: nam, etsi maturi fructus, dummodò modicâ copiâ assumantur, harum regionum incolis conveniant; tamen immaturi vel modicè, et etiam maturi intemperantèr devorati, adeò non prosunt, ut sæpè haud parùm noceant.

Fructuum alii salubres et concoctu faciles sunt; alii insalubres et concoctu difficiles; et alii etiam venenosi.

PRIMI GENERIS sunt omnes *citri* species, fructus *passifloræ laurifoliæ* et *quadrangularis*, et multi alii, qui salubres sunt, et concoctu faciles. Hi porrò fructus sitim sedant, corpus solis ictibus calefactum refrigerant, et sæpiùs alvum solvunt.

SECUNDI GENERIS sunt variæ species *bromeliæ*, *laurus Persea*, *mangiferæ* fructus, *psidium*; et plures alii fructus, qui, magnâ copiâ sumpti, corpus inquietum et calidum reddunt, et sitim potiùs augent, quàm minuunt. Hi igi-

tur parciùs, quàm ii primi generis, adhiberi debent.

Tertii generis sunt, fructus *hippomanis mancinellæ*, et plures alii. Horum quidam mortem ferè certam afferunt; et alii, vomitum alvumve vehementer movendo, mortem aliquando inducunt.

Potus.—Monita, suprà de cibo memorata, advenis parùm proficient, nisi ab iis idonea simul potulentorum generis et copiæ ratio habeatur. Haud omninò inutile est, eos de hac re monere; nam primo adventu omnes, præsertim milites et nautæ, vinis et aliis meracioribus potulentis se nimis indulgent: nec indigenæ, et cœlo assuefacti, hoc prorsùs vitio carent. Hujusmodi intemperantia ubiquè terrarum, præcipuè autem in calidis regionibus, magnum mortalibus discrimen affert: hinc enim plurimi oriuntur morbi, et hominum quotidie multi pereunt. Ita esse, omnes scriptores medici consentiunt *.

* "Excessive drinking," inquit Lindius, "and every species of intemperance dispose the constitution, "more especially in warm climates, to the attack of

Neque hoc vitæ discrimen a vino solùm, aliisque potionibus stimulantibus ultra modum sumptis, oritur: quæ enim quantitas alicui in Britannia modica videtur, eadem, præcipuè si in ea assumenda diu perseveretur, in India Occidentali, plerumque si non semper, Europæos malis plùs minùs gravibus afficit.

Aqua pura optimus potus est, quo in regionibus calidis advenæ utantur; tantâ autem vi consuetudo dominatur, ut pauci velint aut possint spernere exemplum aliorum, qui vino et meracioribus potulentis sibi indulgent. Aqua frigida, ut gustui non pravato jucundissima est, ita nunquam nimiâ quantitate bibitur.

Potus jucundus et salubris est aqua, quæ recente saccharo soluto dulcescit; aut aqua, Indico *tamarindo* saccharo condito temperata.

" the endemic diseases of the country." *On Hot Climates*, pag. 8. Idem ferè alibi dicit, " Any debauch or drunkenneſs will often give a fever which, " in forty-eight hours, terminates in the death of the " patient." Idem, pag. 172.

Liquor etiam ex *coco nucifera*, quantitate haud nimiâ, est potus gratus et salutaris.

Præter hæc potulenta, liquor, in India Occidentali, potui aptissimus videtur esse vinum, vel vetus *alcohol saccharinum* plurimâ aquâ dilutum. Advenæ tamen *alcohol*, vel sic dilutum, cautissimè bibere debent: plerique enim, qui hunc potum diu devorant, *alcoholis* plus quotidie plusque infundunt, donec liquor ex partibus *alcoholis* et aquæ æqualibus constet*. Liquor ex *alcohole* optimo et vetere debet fieri, quoniam recens omnium liquorum pessimus est. Turba militum et nautarum Britannicorum, qui, imprudenter hunc liquorem ultra modum ingurgitantes, miserrimè indies pereunt, exemplum hujus rei flebile præbent.

* "A man who is determined," inquit MOSELEIUS, "either by choice or necessity, to drink rum and "water, should keep a jealous eye on his measure. "That once violated, his palate becomes vitiated; "and, if reason be not exerted to prevent, it will "seldom be found equal to the task of correcting, a "habit established on the ruins of fortitude."

Treatise on Tropical Diseases, pag. 90.

Vinum, aquâ dilutum, eandem pravam consuetudinem inducit; nam, qui eo bibunt, ii, haud secùs ac qui *alcohol* dilutum, aquâ indies parciùs infusâ, merum demùm potant. Hujusmodi potus mala seriùs quidem, at haud minùs certè affert, quàm *alcohol* aquâ dilutum.

Nec advena hujusmodi liquores, pro potu communi, devoret; nisi enim in eorum usu se cohibeat, brevi tempore ebriosus eveniet. In calidis enim regionibus, præ halitu per cutem aucto, sitis plurimùm urget, et potus itaque copiosior necessarius est. Ebriositas igitur, nisi obnitatur ratio, paulatim obrepit.

Hi liquores tamen salubriores sunt factitiis potulentis, quæ incolæ parcâ haud manu bibunt: *alcohole* nempè saccharino aquâ, saccharo, et citrico acido temperato; atque vino aquâ, saccharo, et aromatibus temperato. Hæc enim potulenta palato adeò jucunda sunt, ut sensim, sed citiùs anteà dictis, ebriositatem inducant. Aqua tamen, quam dulcacidam reddiderunt saccharum et acidum, utì jucundus potus est, ità saluberrimus.

Cerevisia tenuis etiam potio salutaris est. Cerevisia meracior potus quidem gratus est, attamen, quippe cùm corpus sanguine nimis impleat, non diu potest impunè assumi.

Sunt, qui dicant, semetipsos a morbis Indiæ Occidentalis vixisse immunes, fœcundos vini, aliorumque stimulantium liquorum, calices quotidie bibendo*. Nequis tamen, his ineptiis in errorem ductus, potionibus stimulantibus se ultra modum assuefaciat: omnes enim convenit inter medicos, qui ad servandam hominum sanitatem animos intenderunt, illas nunquam non multùm nocere†.

Nequis qui, post hesternum Iacchum, de dolore capitis, de nausea, et vomitu conqueri-

---

* Hoc asserere audivi non solùm Europæos in India Occidentali, sed etiam reduces milites in Britannia.

† "Nothing," inquit celeberrimus DONALDUS MONRO, "has been found to be more productive "of diseases in warm climates, than indulging freely "in the use of spirits, and other fermented liquors." *On Hospitals*, pag. 45. Vide ROLLON. *On Health*; item MOSELEIUM, JACKSONIUM, passim.

tur, hæc mala negligat; quippè cùm non, ut plerumque in Britannia, sponte decedant, sed haud rarò in febrem flavam, et in mortem desinant. Hujusmodi ægrotantis interest, à medico auxilium quamprimùm petere.

Capitul. II.

De exercitatione.

Exercitatio modica et tempestiva necessaria est, in regionibus calidis, æquè ac in Europa; nec ullus secundâ potest sperare valetudine frui, qui tali non utitur. Exercitatio modica non solùm facit, ut ea, quæ requirat valetudo, ex corpore eliminentur, et impedit ne corpus nimis sanguine impleatur; sed etiam corpus roborat et firmat, atque mentem exhilarat. Peregrini tamen, primo in has regiones adventu, exercitationem nimiam cautè evitent; nec omninò se exerceant, donec abstinentiâ et

exinanitione se idoneos reddiderint, qui exercitationem impunè patiantur.

Refert omnium rationem habere, quo tempore, gradu, et modo se exerceant. De hujusmodi verò rebus, ab unoquoque considerandum est, magis quæ ipsius viribus conveniant; quàm quæ sint medicorum opiniones, eòque magis, quòd hæ sunt inter se contrariæ.

Quando peregrinus Indiam Occidentalem pervenit, et consideratâ exinanitione plenitudinem minuit, tempus exercendo optimum est, paulò ante, vel paulò post solis ortum; vel ab horâ quartâ pomeridianâ, ad solis occasum, vel paulò post: nam meridiana exercitatio multùm nocet*. Cùm autem advena diu in India Occidentali commoratus sit, et intereà suprà dictis de diæta obsequens fuerit, haud opus erit exercitationem aliis diei temporibus tantâ curâ vitare. Nunquam tamen se meridie exerceat, si, ut plerique solent, diætâ nimis plenâ et stimulante sibi indulgeat.

---

* Vide Moseleium passim.

Nequis diu post solis occasum se exerceat; nam tùm, et per totam noctem, rores descendunt, quibus nihil, præsertim advenis, est magis insalubre. Per tempestates pluviosas advenæ se domi debent continere, ne detrimentum a humore capiant. Quando autem aliquis invitè roribus aut pluviis se commisit, debet quàm primùm, uvidis vestimentis exutis, siccis se vestire. Si sicca autem non sint, quibus se vestiat, debet madida *alcohole* perfundere, ut incolis cœlo assuetis mos est: his enim neglectis, multi morbi in India Occidentali oriuntur.

Multæ et variæ, de gradu exercitationis, opiniones inter medicos tenentur. Alii, et hi sanè plures, affirmant, exercitationem crebram semper in regionibus calidis nocere: dum alii asserunt, illam haud magis esse nocivam iis in regionibus calidis viventibus, quàm in Europâ, si in diæta et cæteris vitæ partibus temperati sint. Fortassè veritas in medio jacet.

Quando advena se exercere incipit, debet cavere, ne se defatiget. Lentè loca æqua perambulet, et leniter acclivia ascendat, ubi

salutiferis auris vescatur. Si intereà incalescat, ne redux sub dio decumbat; neque, sub tecto, perflatui se temerè exponat; sed ab auris se tutetur paulisper, dum corporis calor aliquantum remiserit. Quippè enim ni hoc faciat, citò a frigore detrimentum accipiet, neque rarò morbo intercipietur.

Cùm Europæus, per aliquot annos, in India Occidentali peregrinatus sit, mirum est, quantam sine discrimine exercitationem ferre possit. Hoc satis comprobant ii, qui officii ratione crebrâ exercitatione invitè utuntur, neque hinc tamen ullum capiunt detrimentum. Exemplum hujus rei præclarum a JACKSONIO, qui plurima optima, de sanitate in regionibus calidis tuendâ, scripsit, profertur *.

---

* "I left Kingston on foot," inquit ille, "about "twelve o'clock, and accomplished a journey before "it was dark, of eighteen miles. I did not find I "was materially fatigued, and, still persisting in my "resolution, travelled a hundred miles more in the "space of the three following days. It will not be

Etsi nullus fortassè alius, in illa regione, exercitatione tam vehemente usus est; de militibus tamen quibusdam primi ordinis in Legione Germanica, dum in Antigua merebat, audivi, qui a *Portu Anglico*, ad oppidum *Sancti Joannis* haud semel pedibus incedebant, et impunè eodem die redibant *. Hi autem, pariter ac JACKSONIUS ipse, parcè vivebant †.

Inter exercitationes, ambulationi primæ concedendæ sunt, equitationi et gestationi secundæ; et omnes his vehementiores sunt vitandæ. Saltatio, quæ, in frigidis et temperatis terræ regionibus, animos juvenum tam recreat et exhilarat, Europæo in India Occidentali peregrinanti sæpè nociva est. Mul-

---

" improper to remark, that I carried baggage with me " equal in weight to the common knapſack of a sol- " dier." Vid. JACKSON *on Fevers*, page 405.

* *Portus Anglicus* duodecim millia passuum ab oppido *Sancti Joannis* distat.

† " I probably," inquit JACKSONIUS, " owe my escape from sickneſs, to temperance and spare living." Vid id. op. p. 407.

ti enim nocturnam hujusmodi voluptatem, haud rarò morbo luunt aut morte *.

Capitul. III.

De vestitu.

Europæi, in India Occidentali peregrinantes, non satis ad vestitum animos advertunt, et vestibus Europæos imitari nimis volunt, quæ illi regioni neutiquam idoneæ sunt †. Hoc ipsa Natura docuit. Coriis omnium bestiarum rariores pili sunt in regionibus torridis, quàm in temperatis; et ab Europa in Indiam Occidentalem translatarum coria raripila fiunt. Sic lana ovium, illìc mollis est et calida; hìc pilosa, et rara.

---

* Vide Hillar. pag. 11.

† Vide Hillar. Præfat.

Advenæ vestitu Naturam, et cœlo assuetorum et indigenarum consuetudinem, imitari debent. Vestes igitur xylinas vel linteas leves et amplas gerant, et laneas super his tunicas. Caput tegant petaso levi, suprà albido, infrà viridi, quippe qui a fervidis solis ictibus eos tutetur. Tunicæ xylinæ vel linteæ essent huic regioni magis idoneæ, ni temperies cœli adeò variabilis esset, ut advenæ his vestiti a subitis vicissitudinibus periculum acciperent.

Hanc ob varietatem, et sudorem profusum quem, præsertim in advenis, elicit calor, aliqui putaverunt medici, indusia lanea esse optima, quibus non solùm corpus a frigoribus et auris humidis nocturnis, et a subitis temperiei variationibus, muniatur, sed etiam exsorbeatur sudor. Indusia lanea iis, præ cæteris, idonea sunt, qui, præ artis naturâ vel officii ratione, diurno calori et auris nocturnis objiciuntur, nec vestes, quoties velint, mutare possunt; sicut medicis, militibus, nautis, et NIGRORUM hominum præfectis.

Hujusmodi homines indusia lanea requirunt; cæteri autem, utpote quibus minùs necessaria,

iis raró utuntur. Verùm unus tamen quisque, quoties, necessitate urgente, frigoribus et humori se objicit, vestibus solito plùs se tutari debet; et, primo quoque tempore, madida, si qua, vestimenta pro siccis mutare.

Capitul. IV.

De munditia.

Munditia, ut maximi est momenti in regionibus calidis, sic nunquàm negligenda. Sordes multùm nocet: cutis meatibus officit, sic ut exhalare non possint: eruptionibus plurimis, in regionibus calidis, favet; facitque, ut in ulcera, eaque ampla nec curatu facilia, abeant.

Omnium plurimùm refert vestes sæpè mutare; indusium saltem semel quotidie, cæteraque, quoties possint, vestimenta. Lodices etiam, et alias lecti vestes, non solùm sæpè mutare

debent, sed etiam aëri exponere, ut ex iis vapores nocivi dissipentur.

Neque hoc sufficiet: corpus enim sæpè aquâ frigidâ dulci vel marinâ, primo quoque mane, lavandum est, vel id ipsum immergendo in aquam, vel eidem aquam affundendo. Hujusmodi lavatio et animo et corpori plurimùm proficit. Corpus enim purgat et refrigerat, et non solùm id alacre reddit, sed etiam mentem hilarem et vegetam. Lavationem autem caveant advenæ, qui intestinorum morbis laborant.

Aliqui etiam scriptores corpus aquâ frigidâ lavari vetant, dum quibusdam eruptionibus afficitur. Hi contendunt, eruptiones aquâ frigidâ repelli, et igitur balneum commendant *. Hoc tamen multi alii negant, nec sine causa. Nunquàm balneum expertus sum; nec cognovi, qui sint experti.

Frigida prætereà lavatio, unà cum summâ munditiâ, aëre puro, et diætâ idoneâ, pluri-

* Vide Hillar. Præfat. pag. 3. ad 7.

mùm ad febres harum regionum levandas et curandas confert.

CAPITUL. V.

De excretionibus.

HUMORES justò copiosiùs vel parciùs excernere, multùm nocet. Cavendum est igitur ab advenis, quâ copiâ humores naturales excernant; nam "si humores naturâ excernendi, suppressi vel retenti fuerint, vel nimiâ copiâ excreti, valetudo magis adhuc et citiùs afficitur." In India Occidentali, sæpè supra vel infra modùm naturalem, excernuntur; nec raró morbos periculosos, et etiam lethales, inducunt.

Omnes intestinorum morbi frequentiùs in regionibus calidis occurrunt, quàm in temperatis vel frigidis. Illìc enim alvus nunc copiosior est solito, nunc parcior. Hi morbi intestinorum plerumquè facilè curantur, si ad

eos sanandos tempestivè animos intendant medici; sin negligantur, semper curatu difficiles, nec rarò lethales evadunt.

Si alvus tardior est solitò, *sales medii* parvis dosibus, plurimâ aquâ diluti, vel *rheum cum magnesia*, vel laxantia Indiæ Occidentali cum cæteris regionibus calidis communia, sicut *oleum ricini* et *tamarindorum succus*, ad eam citandam sufficient. Sin pertinaciter adstricta est, nec iis remediis cedit, alia validiora erunt necessaria ad eam solvendam, sicut *alöe*, *jalapá*, et *submurias hydrargyri*.

Quòd si, ut aliquando, nimis est soluta, eluenda est diluentibus; dein motus ejus abnormis *opio*, et etiam, si opus, *astringentibus*, est sopiendus.

Quoniam autem intestina in regionibus calidis adeò sunt morbo obnoxia, ut, sive adstricta sive soluta, morbos inducant, omnium certè interest, quibus alvus duritiâ vel profluvio laboret, à medico quàm primùm auxilium petere.

Exhalatio per cutem nequit subitò cohiberi, quin morbum inducat. Cohibita enim,

reddit corpus pigrum et hebes; animum languidum et demissum. Salubris enim est, præsertim in regionibus calidis; quippè cùm ad temperiem æqualem corporis servandam conducat. Diæta idonea, vestitus aptus, et exercitatio modica, cutis halitum satìs eliciunt et temperant.

Cutis sanè halitus rarò in illis regionibus nimius est, nisi corpus multùm a morbis fuerit debilitatum: quod cùm accidat, diæta solito lautior, vini usus modicus, et exercitatio mane et vespere lenis, corpore roborando eum minuent.

Urina, et alii excernendi humores, rarissimè in India Occidentali quantitate peccant.

CAPITUL. VI.

De animo.

QUANTUM animus in corpus polleat, nemo ignorat; nec ullus ferè hominum est, quin inter amicos suos vidit morbos ab ejus affectibus induci, aliosque ab eo sanari. In regionibus autem calidis, adhuc plùs quàm in regionibus aliis, in corpus pollet animus, et præsertim in advenis, dum morbis laborant *.

---

* Nil meliùs ostendit, quantùm animus in corpus polleat, quàm *FEBRIS FLAVA* Indiæ Occidentalis. Qui enim hunc morbum timent, et igitur sunt animis demissi, ii ferè semper eodem corripiuntur. Qui hoc morbo laborant, ii mirum in modum constristantur; suspiria ex imo pectore trahunt; statim spem omnem abjiciunt; et, animo quasi volente, morbo succùmbunt. Unum tantùm hoc morbo

Animus, æquè ac corpus, plurimùm cœlo Indiæ Occidentalis afficitur; et experientia nos plùs satìs docet, indolem Europæorum paucis annis multùm mutari. Animus caloris vi fit varius et mutabilis; studiorum impatiens; et se ad res graves attendendi impotens; iræ aliisque motibus turbatis opportunus; et minimis vitæ malis, etiamve nugis depressu facilis.

Contra verò violentos animi affectus, monita et medicina parùm valent. Animi tamen hilaritas est necessaria, in regionibus calidis, ad servandam sanitatem. Inter advenas autem, primo adventu, animus raró hilaris est.

Advenæ, patriâ et amicis relictis, cœli gravitatis metu perfusi; necdum vitæ rationi et moribus, quæ à patriis abhorrent, assueti; le-

---

affectum cognovi, qui non, animo demisso, salutem desperavit. Scotus Edinburgenus juvenis hic erat, amicus meus carissimus, qui, paulò pòst quàm insulam Antiguæ advenerat, hoc morbo correptus est. Animo erecto erat; sed tribus tamen diebus morbo periit. Solus, quem novi, per morbum haud erat delirio correptus.

vissimis sive corporis sive animi malis contristantur. Advenarum autem interest hujusmodi causis non demitti; sed animis hilares esse, bonam spem inchoare et nutrire, atque omnem metùm, nisi intemperantiæ, ponere.

Quanquam medicina parùm potest in hos animi affectus, tamen diæta idonea, temperantia, et idonea cæterorum quæ suprà memoravimus ratio, ad eos levandos aliquatenùs conducant.

Capitul. VII.

De loci situ.

Consentiunt omnes scriptores et medici, ipsum ædificii locum plurimùm ad salutem servandam contribuere. In omnibus enim regionibus, sive temperatis sive intemperatis, loci quidam salubres sunt, alii autem insalubres.

Omnium interest, in regione quam incolunt, salubria loca eligere. Neque enimverò

hoc difficile est. Elatiores enim loci, et montes, ut docuit experientia, salubriores sunt, quàm valles; et loci, a paludibus, stagnis, et silvis distantes, quàm his vicini. Neque alibì orbis terrarum hoc verius est, quàm in India Occidentali *.

His igitur cognitis, in illa regione oportet locum, quo habitetur, elatiorem, procul à paludibus, stagnis, et silvis eligere; et fugere locos, ubì tempestatibus pluviosis agri aquâ inundantur, quippe qui ipsis paludibus sint plùs nocivi. Plerique, qui in his locis vel brevi tempore manent, febribus intermittentibus, aliisque morbis variis, corripiuntur.

Præterea oportet domos ligneas habitare, satis fenestratas, et ad orientem prospicientes; et insuper spatiosas cubiculis amplis, quæ, fenestris interdiu apertis, eurinæ auræ perflent. Hujusmodi perflatus in omni ædificio necessarius est; sed præsertim, in casis militaribus, et militum nautarumque valetudinariis.

---

* Vid. Lind. *On Hot Climates*, pag. 199.; itemque, Mosel. pag. 51.

Nullæ sint fenestræ austrum prospicientes; tempestate enim pluviosâ ventus frequentiùs ab austro venit; et, quippe cùm plùs minùs humidus et nocivus sit, semper excludi debet. Plùs satìs apparet ex multis morbis, qui eâ tempestate occurrunt, aërem esse naturâ gravem: tunc enim maximè febris flava, intermittentes, et multi alii morbi, urgent.

Cùm autem quisquam ex necessitate ceperit locum paludosum, vel alioquin insalubrem, ubì habitet, et intermittente, vel ullo alio morbo hujusmodi loci proprio afficiatur, hìnc quàm primùm removendus erit: si enim maneat, rarissimè a morbo revalescet. Æger enimverò minus detrimenti capiet ex hac migratione, quàm si, paucas diutiùs horas, insalubri aëri et loco expositus, maneat *.

---

* Vid. Lind. pag. 130, 131.

Alibi hic auctor venerem immodicam nocivis in illa regione annumeravit. Non dubitari quidem potest, quin nimius concubitus plurimùm ad sanitatem minuendam conducat: at rarus tamen sanitati, in illa regione, utilis est.

Priusquam hanc disputationem ad finem perducam, fortassè oportet me dicere, migrare temperatam in regionem, sæpè, post morbos quosdam, ad salutis redintegrationem esse necessarium; quippe ad quam neque diæta, neque exercitatio, neque cætera enimverò suprà enarrata, sufficiant. Alii etiam morbi sunt haud leves; qui, licèt ibi non possint curari, itinere tamen per mare, et frigido Europæ aëre, plerumque sanantur.

Ut alia plurima ab illis, qui de cœlo Indiæ Occidentalis scripserunt*, inter valetudini nocentia numerantur; ita ab illis plurima quo-

---

* Lindius, Jacksonius, Moseleius, Hillarius, Rollo, Chisholmius, et alii.

que, quæ conducunt ad servandam sanitatem. Quanquam, in disputatione hujusmodi, omnia, quæ idonea sunt, haud dici possunt; pauca tamen, quæ in mentem revocare poteram, narrare ausus sum, veritatis quàm famæ studiosior.

FINIS